



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fulvii Androtii Societ: Iesv Theologi Opuscula spiritualia**

**Androzzi, Fulvio**

**Coloniae, 1611**

Remedia pro scrupulosis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48641)



REMEDIA ET DOCUMENTA  
*ta pro scrupulosis, qui nunquam pu-  
 tant se rectè confessos, ex*

IOANNE Ruibruchio Doctore  
*pio & erudito.*

**H**ORTOR te, inquit, vt longas & prolixas fugias confessiones, quia turbabunt pacem pectoris tui, & complebunt scrupulis. Et scias, si vsus fueris multis verbis non necessarijs, vt si confitearis omnia venialia, existimans sic fore conscientiam tuam tranquilliorē, & non potius confidēs in Deo, te non fore illuminationum diuinarum participem, & à diuina Maiestate instruendū, atque ita nunquam poteris distinguere inter peccatum magnum & paruum. Adhuc, si memoria exciderit aliquod peccatum, quod soles confiteri, eris admodum afflictus, & existimabis te non esse rectè confessum.

*Ex eodem.*

**D**E peccatis venialibus ( à quibus nemo in hoc mundo est immunis ) paucis verbis confitebere, & generatim tantum, cum proposito benè semper agendi, & abstinendi ab omnibus peccatis mortalibus & venialibus,

EX



*Ex eodem.*

**T**OTVM fundamentum sanctitatis est Puritas conscientiae, quam consequeris, omni studio excutiendo teipsum: & si deprehenderis te esse in peccato mortali, & alio graui, cōfiteri, & postea certò confide ubi esse remissum. Itaq; sæpè mentem eleuando ad Deum, dicere poteris. Domine propitius sis mihi peccatori.

*EX IOAN. TAVLERO.*

**Q**VOD ad peccata venialia attinet, (à quibus nemo in hac vita liber est.) ne sitis admodum solliciti, si non omnia sigillatim expresseritis in confessione: satis enim est à eo bono corde exposcere pro illis veniam, sic enim non eripietis tempus Confessario. Verè sufficit generatim illa fateri, nec enim tenemur confiteri, nisi solum peccatum mortale, vel de quo dubitamus, an sit mortale. Peccata enim venialia multis modis expiantur, nempe contritione, oratione Dominica, aqua benedicta deuotè sumpta, & genu flexione.

**REMEDI-**